



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

10. Valignanus noua subsidia in Sinas curat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

illi feruoris impetus, nimium animosi locum habuissent, neque is olim  
 cunctator Riccius, nunc Apostolus Sinarum haberetur. Reuersus Ma-  
 caum Cabralis, tam leras de Sciochino ad Valignanum literas Goam  
 dedit, ut iam minime doleret Valignanus Legatis Iaponum ad summum  
 Pont. se ducem itineris non esse: sed instaret ardentem ad prouehendum  
 Sinesem negotium nouis hominum, rerumque subsidiis, quando illud  
 Deus cursu tam prospero agebat. Nam rei domesticæ leuamentum ali-  
 quod ab Sinis expectare, idem foret ut Christi Ministros execrationi  
 subiicere, qua sectarum suarum sacrificulos auerfantur, ob improbita-  
 tem quatendæ stipis. Ergo Indiæ Prorex Odoardus Menesius, Vali-  
 gnani rogatu quem semper carissimum habuit, & suapte nobili pietate,  
 de sisco regio Malacensi censum annum edixit qui nostris inter Sinas  
 alendis sufficeret quem postea Philippus II. decreto perpetuo stabiluit.  
 De suo Odoardus suppellectilem eorum sacram auxit; domestica nouas  
 ædes instruxit. Ex operariis in tempus aliud dilatis, duos Macaum misit  
 Valignanus, Odoardum Sanden, & Antonium Almeidam quos etsi pru-  
 dentia insignes, sapientibus muniuit documentis, & gratulatoriis ad  
 Riccius & Ruggerium literis, quibus item illos plurimum hortaba-  
 tur, duobus iis locis omni ope ingressum in Sinas exorarent. Sub hæc  
 tertius appulit Alfonso Sancez, nec optatus, nec gratus qui tantum-  
 non Macaum & nostros euerit: hunc itineribus pro fide, & Hispania  
 diu tritum, Philippinis Præfectus Procuratori suo addiderat. postulatu-  
 ro ab Sinarum Rege ut Legationem à Rege Hispaniæ vellet gratam ha-  
 bere; & vero utrimque confectum prope negotium exhibat, cum ex-  
 pergefacti Lusitani contra rem suam motum vident; conclamatum  
 profus de Macao, si conficeretur; Sinesem commercium in Philippi-  
 nas verti, lucrum ex Sericis quorum emptione à Sinis commoda, &  
 translatione ad Iaponem Macaum ditesceret, ad Philippinas abiturum.  
 assurgunt igitur in tumultum & defensionem, Legationis ambitum  
 disturbant; Mandarinorum imperrant edictum quo vetantur in poste-  
 rum Hispani de mittendis legatis agere; turbulenti negotij auctores,  
 infesta re, Macao vela in reditum, & remos aptant. Sandes verò &  
 Almeida illuc anno sequenti 85. sub finem Iulij applicant. Sanden Lin-  
 citanus Scioachinum vocari Riccio concessit, hac lege dumtaxat, ut  
 Macaum breui post remearet. Sed eum præsens aditu & affatu & trio-  
 bolari apud nos munusculo, illic raro, ita sibi deuinxit, ut retine-  
 ret illum intra Sinas, quamuis nondum libello respondisset Prorex  
 quo hæc illi facultas petebatur, indicta nihilominus Patribus cautio-  
 ne, ne quem præterea tentarent intra regnum vocare; quo mandato  
 moestus Almeida desideria sua infringi penitus, tantò, post paulum  
 iucundius, quanto contra spem omnem, iis potius est. Tam tres domi-  
 cum essent, & accessurus ad eos quartus, visum iis, pro Sinarum mo-  
 re, nusquam opinor alibi audito, nomina mutare. Solent ij quosdam  
 in nominalibus seruare minutias. Nullum feminis induit nomen; domi-

10.  
 Valignanus  
 noua subfi-  
 dia in Sinas  
 curat.

11.  
 More Sio,  
 PP. nomen  
 mutant cum  
 repetunt.

Q